

exigatur, nihil indecori commisit. In his cit̄. Prophetarum gestis non admittimus visionem tantum parabolicam.

*****) Conf. *Act.* 3, 24. & 10, 43. Potissima in Protoevangelio & alia a Mose usque ad Malachiam illustramus, quae Christianae Religionis hostes obscurare audent & eripere. E. g. *Morgan*, *Tindal*, *Col. lins* &c., dum impie arguunt, permultas V. & N. Testamenti prophetias suo caruisse eventu, quas certe propositiones Christianae fidei summe noxias non invenissent, nisi arassent in vitula Hugonis Grotii.

IV.

ALLEGATIONES V. T. IN NOVO.

*Quae ex V. T. ab Evangelistis allegantur & ab Apostolis, vel ex Heb., vel ex graeco LXX. expressa sunt: *) sensus a Spiritu sancto intentus tum literalis est, tum mysticus **) Persaepe V. T. locorum sensus adducitur, non verba. ***) Testimonia etiam ex Autoribus non inspiratis, imo ethnicis recensentur. ****)*

*) Genus loquendi, ac modus allegandi S. Scripturarum oracula forma externa est, interna illorum sensus. Allegatio frequenter

tior est ex LXX; quia haec versio ubique innotuerat: plures dantur adhuc rationes. Ss. Matth. & Joannes, teste *S. Hier in Iſ.* C. 6. *testimonia sua de hebraico protulerunt, S. Lucas magis testimoniis graecis utitur.*

**) *Literalis* sive *immediati*, praeter alia multa, exempla sunt *Iſa.* 7, 14. & *Matth.* 1, 23. *Deut.* 18, 15. & *Act.* 3, 22. *Pſal.* 2, 7. & *Act.* 13, 33. simul & *Heb.* 1, 5. 5, 5. *Amos* 9, 11. & *Act.* 15, 15. 16. *Micb.* 5, 2. & *Matth.* 2, 6. *Zach.* 9, 9. & *Matth.* 21, 5. ac *Joann.* 12, 14. 15. *Malach.* 3, 1. & *Matth.* 11, 10. atque *Marc.* 1, 2. *Typici* seu *mediati* exempla sunt: *Exod.* 12, 46. & *Joann.* 19, 26. *Num.* 21, 89. & *Joann.* 3, 14. 15. *Joann.* 2, 1 — 11. & *Matth.* 12, 39. *Gen.* 2, 23. 24. & *Eph.* 5, 31, 32.

***) Conf *S. Hier. Ep. ad Pamm. de O. G. I.* & in C. 29. *Iſa.* quare fit quandoque *detractio, adjectio, transpositio, mutatio* &c. Neque id mirum videatur, cum unus, idemque Spiritus, qui aperuit ora Prophetarum, ore etiam Evangelistarum locutus fit. Cumque illorum oracula in N. T. interpretetur, non vero exscribat, cur verbis adnumerandis debuerit adstringi? declaratio ubi a LXX facta est, versio haec retenta est, ubi minus, expensa sunt verba hebraica. Ali-

cu-

cubi neque ad illam versionem, neque ad verba textus Spiritus S. se alligavit, sed sensum verbis novis expressit, revelati verbi sui optimus interpres, & cum nulla sit antilogia, quid pluribus opus est?

****) 2. *Tim.* 3, 8. Apostolus Aegypti Magos nominat *Jannes* & *Mambres* juxta alios יְמָנֵס וְמַמְרֵס ex vetere Rabbinorum traditione. *S. Judas Ep.* v. 9. 14. 15. ad apocrypha videtur respexisse; Per hoc tamen Epistolae autoritas periculum nullum subit; nam in citt. quaedam etiam vera repe riuntur, quae a Theopneusto Autore a falsis discernuntur. Tandem *A&T.* 17, 28. ex *Arato* Poeta Cilice a S. Paulo Cilice transumitur, & quod Jovi perverse ac in juste tribuerat *Aratus*, id vero Numini justissime restituit Apostolus. Alterum i. *Cor.* 15, 33. ex Thaide Menandri allegatur; & hunc locum *sanc&titîcatum per Apostolum esse*, adserit *Tertull. Lib. 1. ad uxorem C. 8.* Tertium Apost. laudat *Tit. 1, 12.* ex opere *Epimenidis de oraculis*: quare Prophetam illum adpellat, cum talis a suis haberetur. Licet vero his Gentilium dictis nonnunquam uteretur, poterat tamen *A&T. 26, 22.* jure ad Agrippam loqui, a se nihil dici extra, sive contrarium iis, quae *Prophetae locuti sunt.*